

ut ait Ambrosius libro primo de Spiritu sancto, capite vi; signatio autem proprium est characteris.

III. Sed quod ista signatio sit effectus aliquis distinctus a gratia, quæ per sacramenta datur, non evidenter ostendunt Apostoli verba, valde tamen probabiliter, cum tamquam effectus distinctos numeret signationem et unctionem et pignus, etc. Adjuncta autem sanctorum patrum expositione, et intellectu Ecclesiæ, sic accipientis illa verba Pauli, efficacissime conclusionem probant. Ratio vero conclusionis a priori quidem est institutio et ordinatio Dei sic instituentis.

IV. Congruentia autem, quam D. Thomas affert, optima est, quia sacramenta non solum ordinantur ad remedium peccati, sed etiam ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei. Quando autem aliquis deputatur ad aliquid certum, solet ad id consignari, et per aliquid sibi impressum aut additum deputari, sicut milites characterem militari deputantur, et sicut moneta insignitur characterem regis: igitur etiam sacramenta, quæ specialiter deputant aliquem ad cultum Dei, vel ad perficiendum aut recipiendum aliquid de divino cultu oportet, quod aliquo modo ad id consignent. Ad hoc autem non sufficit gratia aut fides, vel quilibet alius habitus supernaturalis, nam omnes isti effectus amissibiles sunt et recuperabiles, ac reperi possunt in anima; character autem quo quis semel Christo deputatur, non reperitur, nec amittitur, sed agnitus approbatur, ut dicit Augustinus II contra Parmenam, capite xiii. Unde oportet quod consignatio ista, si sit per aliquid quod nec reperi, nec amitti potest, non fiat per fidem vel gratiam. Et sicut in vetere lege signabantur Israelitæ characterem corporali indelebili (scilicet circumcisio-

ne) sic in nova lege (quæ est lex Spiritus) debent signari fideles spirituali aliquo characterem indelebili. Et hæc est ratio, quare in sacramentis antiquis non dabatur character, quia non ordinabantur per spiritualem eorum vim homines ad aliquem spiritualem effectum, sicut modo in nova lege, ut dicit S. Thomas solutione ad tertium.

V. In solutione ad secundum nota, quod character, quantum ad hoc quod est esse configurativum, vel distinctivum ab aliis, hoc habet ex se, et in quantum spirituale est: et ita ratio signaculi characteristici, quantum ad hæc duo, sine aliquo sensibili salvatur in characterem; quantum vero ad rationem signi humano modo significativi et perceptibilis, hoc non habet ex se, sed ex sacramento sensibili adjecto, per quod character fit sensibilis et perceptibilis. Et ita rationem signi sensibilis et humani habet per sacramentum exterius, per quod datur. Et ita character est sacramentum et res, quia et spiritualiter signat Christum, cui configurat: et est res, quia significatur, et redditur sensibilis per exterius sacramentum, quod est sacramentum tantum.

ARTICULUS II.

Utrum character sit spiritualis potestas?

I. Ex articulo eliciuntur duæ conclusiones. Prima est: Character importat quamdam spiritualem potentiam ordinatam ad ea quæ sunt divini cultus.

II. Secunda conclusio: Character non est proprie in genere vel in specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

III. Ad intelligentiam harum conclusionum, antequam rationes D.

Thomæ expendantur, notandum est ex solutione ad tertium et quartum, quod character est signum, et importat relationem signi; quod quidem fit sensibile per sacramentum exterius, in se autem spiritualiter et configurativum Christo, et distinctivum ab aliis. Nihilominus tamen relatio hæc signi, cum non possit fundari in ipsa anima, aut potentiis ejus, aut in habitibus supernaturalibus, quia isti amissibiles sunt, illa autem naturale quid sunt; ideo oportet pro tali fundamento assignare aliquid reale ab anima distinctum; et de hoc reali, quod fundat relationem signi, inquit S. Thomas, quod non est in genere relationis, sed est potestas, et habet rationem principii respectu eorum, quæ ad cultum divinum per ipsum characterem perficiuntur.

IV. Primam conclusionem probat S. Thomas duplici ratione. Primo, in argumento Sed contra, quia secundum philosophum in secundo Ethicorum, capite v, tria sunt in anima, potentia, habitus et passio. Character autem non est passio, quia passio cito transit, character autem indelebilis est; nec etiam est habitus, quia nullus habitus potest se habere ad bene et male; habitu enim virtutis nullus male utitur, habitu autem malitiæ nullus bene; characterem autem contingit bene et male et uti: ergo non est habitus: debet ergo esse potentia.

V. Rationem hanc non probat Suarez, et affert contra illam duplicem instantiam in commentario hujus articuli. Prima est, quia non videtur verum, quod nullus habitus potest se habere ad bene et male; non enim repugnat generari habitum indifferentem, non etiamsi actus in exercitio nam possit esse indifferentem substantialiter et accidentaliter, propter circumstantias quibus vestitur, tamen quoad substan-

tiam indifferentem est; habitus autem generatur ab actibus rationes substantiæ, et non ratione accidentium et circumstantiarum: ergo potest generari habitus indifferentens.

VI. Secunda est, quia quando dicitur, quod habitu nullus bene et male utitur, vel ly bene et male sumitur pro bonitate et malitia morali; et sic est falsum, quod aliquis non possit habitu uti bene et male; nam habitibus intellectus, ut scientia, opinione, arte, etc. potest quis uti bene et male moraliter, prudenter et imprudenter. Vel sumitur ly bene et male, non pro bonitate morali, sed pro bonitate naturæ, seu in proprio genere habitus; sicut habitu scientiæ nullus potest uti ad falsum, nec habitu erroris ad verum; et sic falsum est, quod characterem possimus uti bene et male; nam qui characterem utitur, semper verum conficit sacramentum, licet irreligiose; si autem verum sacramentum non conficit, non utitur characterem. Cum autem character sit potentia spiritualis, quæ ponitur in intellectu, ut dicit S. Thomas articulo iv, propria bonitas ejus est verum, non autem moralis bonitas: et cum nullus possit uti characterem quoad falsum, nullus utitur male characterem, secundum propriam bonitatem ejus.

VII. Cæterum instantiæ istæ nihil faciunt contra rationem S. Thomæ. Ad primam enim respondet Cajetanus hic, §. Ad id vero quod primo, etc. negando posse dari aliquem habitum indifferentem, quia nec potest dari actus in exercitio indifferentens; et consequenter neque ab hujusmodi actu, seu actibus generari potest habitus indifferentens, quia actus generant habitus sibi similes, non solum in substantia operis faciendi, seu in eo quod habent ex parte objecti, sed etiam in circumstantiis et accidentibus intrinsicis;

ut in illa quæ ordinat actum ad finem extrinsecum.

VIII. Pro quo notandum est, quod impossibile est dari actum humanum, qui non sit bonus vel malus, eo ipso quod humanus est, licet aliqui actus humani hanc bonitatem aut malitiam ex specie sua non habeant, et ex objecto; ita impossibile est quod detur aliquis habitus humanus seu moralis, et modo humano inclinans ad operandum, nisi sit bonus vel malus; si autem detur habitus non humanus aut moralis, nec inclinans modo humano in actum, talis habitus non pertinet ad præsentem instantiam, in quo agimus de habitu operativo actuum humanorum et moralium, et consequenter de eo, quod producitur et generatur per tales actus. Unde constat, quod si actus generant habitum humanum ac moralem, non solum debent quoad entitatem et substantiam ipsum producere, sed etiam quoad illam circumstantiam finis, sine qua humanus non est: si autem aliter generatur habitus, potius est consuetudo quædam, quam habitus; et talis habitus, si quis est, non se habet ad bene et male privative, sed negative, nec inclinabit ad utrumque, sed ad neutrum. Habitus autem, qui semel sit inclinatio ad bonum, non potest esse inclinatio ad malum, aut in utrumque simul. Et sicut consuetudine aliqua naturali potest aliquis uti bene et male, ut consuetudine fricandi barbam, aut levandi paleas, tamen quod generet habitum inclinantem in hæc objecta bene et male, et non determinate bene vel male, impossibile est; nam habitus qui inclinatur morali modo et humano ad bene faciendum, non potest iterum inclinare ad male faciendum; et ita ex inclinatione propria habitus non potest esse indifferens; licet si detur habitus non moralis, sed

veluti consuetudo quædam naturalis, illa consuetudine bene et male uti, sicut qualibet alia re exteriori, non repugnet.

IX. Ad secundam autem instantiam Suarez dicimus quod in præsentem sumit S. Thomas hoc quod est uti bene et male secundum quod invenitur in habitu virtuoso, sive morali, sive intellectuali, præsertim in habitu practico; et licet habitibus speculativis possumus bene et male uti moraliter, tamen habitibus practicis, quibus ordinamur ad opus et ad cultum Dei, non possumus uti bene et male moraliter, sed vel determinate bene, vel determinate male, sive illi habitus sint in voluntate, sive in intellectu. Licet enim de ratione virtutis intellectualis solum sit quod faciat bonum in suo genere, tamen virtus intellectualis practica, quando habet pro praxi moralitatem ipsam operum, quam dirigit, oportet quod bonum ejus non solum sit verum quomodocumque, sed verum ut directivum est boni moralis, et ita bonitatem debet habere moralem.

X. Cum autem per characterem ordinetur quis in his quæ pertinent ad cultum Dei, et ad perfectionem vitæ christianæ; si character est habitus, non potest se habere ad bene et male in ratione hujus cultus, quod est bonum morale: deberet ergo se habere determinate ad bene vel male. Et e converso, si in his quæ sunt ad cultum Dei non se habet determinate ad bene vel male, sed potest quis indifferenter illo bene et male uti, consequenter non se habebit ut habitus, sed ut potentia. Licet ergo qui characterem utitur semper verum sacramentum conficiat, aut recipiat, quantum est ex parte sua, tamen character non solum respicit verum sacramentum quasi speculative, sed ut pertinet ad cultum Dei, et ad perfectionem vitæ

christianæ; ac proinde si per modum habitus illum respiceret, determinate bene vel male talem cultum et sacramenta respiceret; quod quia non facit, potentia est, et non habitus, quia bonum ejus non est solum veritas sacramenti, sed et cultus Dei in sacramentis, et perfectio vitæ christianæ, secundum quod Christo configuranda est in effectibus sacerdotii ejus.

XI. Profundior horum ratio est, quia licet ex objecto possit dari actus indifferens, non tamen ex subjecto, seu in quantum procedit a voluntate; habitus autem habet se ut principium effectivum actus, et ex parte subjecti se tenens, non ex parte objecti; unde ex illo non potest indifferenter actus procedere, sed determinate bonus aut malus, si habitus morali modo inclinatur. Et præterea, quia actus ex objecto indifferens, quando exercetur, sumit speciem ex circumstantia transiente in rationem objecti, et moralizante determinante; unde quoad substantiam moralem manet determinatæ speciei.

XII. Secunda ratio S. Thomæ est: Nam ideo sacramenta aliqua imprimunt characterem, quia per ea deputantur homines ad cultum Dei secundum ritum christianæ religionis, dicente Dionysio in secundo capite ecclesiasticæ hierarchiæ: « Quod Deus accedenti ad baptismum tradit in quodam signo sui participationem, perficiens eum divinum et communicatorem divinorum. » Cultus autem divinus consistit in tradendo aliquid, vel recipiendo, et ad utrumque horum requiritur aliqua potentia; ad tradendum quidem, activa; ad recipiendum vero, passiva: ergo character importat potentiam spiritalem, vel activam, vel passivam.

XIII. In hac ratione non videtur tenere illa consequentia: Requiritur

ad recipiendum vel tradendum divina aliqua potentia: ergo character est potentia. Instatur enim sic: Ad tradendum divina, et ad divinum cultum requiritur scientia, requiritur fides, etc. ergo character est scientia aut fides. Ratione etiam materiæ non tenet consequentia, quia character de se non importat nisi signum configurativum et distinctivum; quod autem sit potentia, oportet aliunde probare.

XIV. Respondetur tamen quod argumentum D. Thomæ non fundatur in eo, quod character præcise, aut quomodocumque deputat ad cultum Dei, sed quod deputat ut perfectivum animæ ad cultum, seu ad actus, qui sine ipso caractere sunt nulli, quantumcumque alia adsint; et cum ipso caractere sunt validi, quantumcumque alia adsint; non ergo character deputat ad actus cultus divini ut supponens in homine potentiam ad validitatem talium actuum, seu ad simpliciter efficiendos sacramentales actus.

XV. Cum ergo per characterem non deputetur homo quomodocumque ad tradendum aut recipiendum divina, sed primo et per se, ita quod validitas traditionis aut dationis pendet primo et radicaliter a tali caractere, ideo ex tali primaria deputatione validante actus, et ante quam non supponitur potentia aliqua, aut primaria ratio validans actus, recte infertur quod character sit potentia, quia ad tradendum aliquid aliis vel accipiendum, requiritur potentia activa vel passiva; et ad primo et per se tradendum vel recipiendum valide, potentia et non dispositio aliqua vel habitus concurrat. Licet enim perficiatur homo ad tradendum aut recipiendum per habitum aut dispositionem, non tamen primo et per se et radicaliter, sed quasi ad melius, aut ad circumstantiam valoris actus; quod

non advertens Suarez impugnavit hanc Cajetani responsionem, quasi ipse dixerit, quod quia perficit ad cultum divinum character sit potentia, cum tamen non solum hoc dicat, sed quia perficit primo et per se.

XVI. Dicimus ergo, plura concurrere aut acquiri ad deputationem, ut signum, professio, scientia, voluntas, etc. Quod tamen requiritur primo et per se, et quasi radicaliter (seu non supponendo potentiam ad valorem actus) est potentia, sive activa sive passiva; et hoc modo requiritur character, quia requiritur ut primo et per se, et radicaliter validans actus sacramentales, et ante illum non est potentia aliqua ad tales actus.

XVII. Secunda conclusio S. Thomæ ostenditur, quia character est potentia competens ministris sacramentorum, ut solum ministerialiter concurrant ad illa, sive passive, sive active; potentia autem ministerialis instrumentalis est, et ideo sicut virtus sacramentalis non est per se in genere, sed reductive, sic et character; est enim derivatio quædam a principali agente, seu a primo et summo sacerdote christiani cultus et religionis, ut per illam in recipiendo et tradendo conformentur ei fideles.

DUBIUM PRIMUM.

AN CHARACTER SIT IN ALIQUO GENERE REALI ABSOLUTO; AN VERO IN ALIQUO RATIONIS, VEL RELATIVO.

Conclusio est: Poni in genere reali et absolute.

XVIII. Non disputamus modo, quomodo character ponatur in prædicamento, an reductive, vel directe; sed dicimus debere pertinere ad

prædicamentum, seu genus reale et absolutum. Et quidem quod character ut ens rationis possit in duplici sensu accipi, uno modo quod de formali importet aliquid rationis, et de materiali et pro substrato aliquid reale, pro quo simpliciter supponat, sicut sacramentum est simpliciter aliquid reale, pro formali tamen est aliquid rationis, quatenus est signum ex impositione. Et hoc primo aliqui consent, characterem secundum quod signum, non solum habere significationem ex natura rei, sed etiam ex impositione; et ideo pro hac parte importare aliquid rationis pro formali. Sic Suarez disput. xi, sect. II, dicens: « Ideo non consistere totam essentiam realem characteris in hac relatione signi. »

XXI. Secundo, potest intelligi, quod character absolute, et tam pro materiali quam pro formali sit solum ens rationis, quia videlicet non addit supra animam aliquid reale, sed solum deputationem extrinsecam hominis ad aliquas sacras actiones peragendas vel suscipiendas; et hoc modo censuit Durandus in iv, distinct. iv, quæstione prima, characterem esse aliquid rationis.

XX. Est tamen hæc Durandi sententia contra definitionem Concilii Tridentini sess. VII, can. IX, et contra Florentinum in quibus definitur characterem esse quoddam signum spirituale, et indelebile animæ impressum. Et Innocentius in capite Majores, de baptismo dicit, quod: « Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obstantem; » si autem character est solum extrinseca deputatio, nec est aliquid spirituale, nec aliquid impressum; et ita non differret deputatio sacramentalis facta per characterem ab ea qua fit per extrinsecam deputationem iudicis, aut quæ

fiabat in lege per consecrationem sacerdotis.

XXI. In primo autem sensu loquendo dicimus, quod character non ponitur in genere signi sicut sacramentum, ut propterea de formali importet relationem signi. Triplicem enim relationem dicit character, ut ait S. Thomas in iv, dist. iv, quæstione prima, articulo primo, videlicet signi ad signatum, et distinctivi ad ea, a quibus distinguit, et configurativi ad ea, quibus assimilatur.

XXII. Et quidem significatum characteris est Christus, vel gratia, ut per sacramentum data; nam character est sacramentum et res; gratia autem est res tantum. Unde character est sacramentum respectu ejus quod est res tantum (scilicet gratia) est autem res respectu ejus quod est sacramentum tantum; res autem tantum, est gratia per Christum: ergo significatum sacramenti est gratia per Christum. Terminus autem relationis characteris, in quantum est distinctivum, est illud a quo distinguit, tamquam dissimilem aut diversum faciendo hominem ab alio. Terminus autem ejus in quantum configurativum, est Christus ut supremus sacerdos, et auctor christianæ religionis, cui fideles debent configurari et assimilari.

XXIII. Character ergo non est signum ex impositione, ut Suarez putat, seu ex impositione Christi, quia res spirituales non imponuntur ut sint signa hominibus, qui rebus spiritualibus uti non possunt pro signis: imo character non habet exercere rationem signi, nisi mediante signo externo, per quod fit hominibus sensibilis. Ratio ergo signandi in characterem naturaliter competit, et non ex impositione, quia hoc ipso quod est aliquid impressum a Christo in ordine ad ri-

tum et cultum christianæ religionis, habet significare Christum et ejus gratiam, quæ in vita christiana est principaliter intenta, cum sanctificatio hominum sit præcipuum quod per sacramenta Christus intendit; et ideo character ut signum sanctificationis christianæ datur, quæ ex natura sua, et derivatione, quam habet a Christo, talem sanctificationem significat.

XXIV. Sicut enim ea, quæ in sacramentis non imprimuntur characterem se habent ut res et sacramentum, significant gratiam non ex impositione (ut Christus Dominus sacramentaliter positus in eucharistia significat gratiam cibantem, vinculum in matrimonio significat sanctitatem conjugalem, contritio in pœnitentia significat gratiam absolutionis) et tamen hoc non habent ex impositione, sed ex eo quod sunt effectus sacramentorum ordinati ad ultimum effectum, qui est sanctificatio hominum.

XXV. Si character non est signum ex impositione, sed ut derivatur ex æterno sacerdotio Christi habet significare id, ad quod ejus sacerdotium ordinatur, quod est sanctificatio hominum, juxta illud Hebr. IX: *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, etc.* et iterum ibidem: *Semel in consummatione sæculorum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit*: unde conficitur, quod sicut sacerdotium Christi per se habet ordinari ad sanctificationem hominum, et destructionem peccati, sic et derivatio sacerdotii ipsius impressa fidelibus, quod est character, habet per se et sine impositione ordinari ut signum sanctificationis fidelium.

XXVI. Non ergo est signum ex impositione, sicut ablutio exterior aut unctio, quæ solum ex impositione significant gratiam, et sunt sacramenta; ac proinde in quantum